

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Prot. n. 36281/04 CG**

**N**

***Nullitatis matrimonii***

***Querelae nullitatis et Restitutionis in integrum adversus Decretum diei 11 aprilis 2003***

**DECRETUM**

In causa de qua supra, admisso libello ac citatis partibus, cl.mus partis conventae Patronus, ante litis contestationem, petivit «la revoca del decreto di ammissione del libello [...]; in subordine, la sua rescissione; in subordine ancora, si propone la nullità del decreto di citazione».

Praeses primum in ipsa litis contestatione atque Collegium dein instantias porrectas reiecit. Appellatione ad Rotam Romanam interposita, Rev.mus Ponens die 20 m. decembris a. 2002 decretivit in quaestione pertractanda per memorialia certo dimitti non posse quaestionem de iure appellandi. Turnus Rotalis, dein, die 11 m. aprilis a. 2003 dubiis modo formulatis: «Utrum recursus ad Turnum adversus decretum Ponentis, diei 20 decembris 2002, admittendus sit, et quatenus affirmative, utrum ius appellandi a parte conventa in quaestionibus positis admittendu[m] sit et quatenus affirmative, utrum confirmandum vel infirmandum sit decretum Tribunalis X primae instantiae, diei 21 ianuarii 2002», respondit: «Affirmative ad primam quaestionem; Negative ad alteram quaestionem et ad mentem: ius appellandi solum dari circa querelam nullitatis decreti admissionis libelli; Confirmandum esse integre decretum tribunalis [...] primae instantiae, diei 21 ianuarii 2002, idest non constare de nullitate citati decreti».

Impugnationibus recursibusque a cl.mo partis conventae Patrono frustra Rev.mo Ponenti porrectis, idem Patronus die 28 m. iulii a. 2004 ad H.S.T. recursum interposuit ut «Decretum Turni diei 11 aprilis 2003 nullum declaretur, vel rescindibile; [...] [c]oncedatur conventae restitutio in integrum attenta evidens iniustitia rei; [...] procedatur pro refectione damni illati et illaturi eidem conventae», acta, Tribunalis primae instantiae interdum remissa, instantissime petens ut ab H.S.T. exquirantur.

Quibus omnibus praehabitis,

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praetermissa hoc in processus stadio quaestione quonam ex iure Apostolicum Rotae Romanae Tribunal appellationem adversus decretum interlocutorium Tribunalis Ecclesiastici Regionalis X primae instantiae receperit atque pertractaverit (cf cann. 1629, 4°, et 1618);

*Ad propositam querelam nullitatis quod attinet:*

Viso art. 19, §3 Normarum H.S.T. Specialium, quo competentia N.S.T. de nullitatis querela etiam circumscribitur adversus sententiam «interlocutoriam, a Sacra Rota quomodocumque emissam, dummodo tamen gravamen inde sit oriturum irreparabile per definitivam sententiam, aut ipsa sententia vim habeat definitivae»;

et ad rem considerato quod decisio iudicialis, qua edicitur non constare de nullitate decreti, quo libellus introductorius admittitur, certe aequari nequit decreto vim sententiae definitivae habenti (cf can. 1618), nec decreto ex quo damnum per sententiam definitivam irreparabile oritur;

Animadverso, praeterea, subordinate quod:

- ad prius nullitatis motivum adductum, idest can. 1620, 8°, praescriptum, quod attinet, decretum Rotale impugnatum omnibus et singulis dubiis propositis expresse et explicite respondit, uti ex dubiorum formula et ex parte dispositiva pronuntiationis iudicialis liquide appetat ac constat;

- ad alterum nullitatis motivum adductum, idest can. 1620, praescriptum, quod:

- ex una parte locutio «Si vulgus vult decipi, decipiatur», quae in decreto Rotali impugnato in num. 11 habetur, impugnari non potest, cum querela nullitatis adversus decreta, non autem adversus rationes in iure vel in facto decisionis iudicialis proponi possit;

- ex altera parte in eodem decreto Rotali impugnato nulla habetur prohibitio vel denegatio cuiusvis impugnationis, recursus vel remissionis;

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

*Ad subordinate petitam restitutionem in integrum quod attinet:*

Considerato quod nulla affertur causa ex qua manifesto de iniustitia constet, ad normam can. 1645, §2;

Cum, proinde, instantia de damnis illatis et illaturis parti conventae sacerdotalis locum habere nequeat, cumque pro instantia de actis a Tribunali primae curae repetendis nulla sit ratio, quia ceterum eorundem exemplar authenticum coram H.S.T. prostet;

Viso voto Rev.mi Promotoris Iustitiae deputati;

**decrevit:**

**Instantias adversus decretum Rotale diei 11 m. aprilis a. 2003  
propositas in limine reiciendas esse ac facto reici.**

Pro expensis retinetur cautio in H.S.T. arca deposita.

Parti, quae se gravatam putat, competit ius recurrendi ad Exc.mum H.S.T. Praefectum intra terminum peremptorium decem dierum utilium ab hoc decreto notificato.

Ad hunc recursum, omni fundamento prorsus destitutum, prosequendum, opus est denuo suetam summam pecuniae deponere, uti cautionem de expensis iudicialibus forte solvendis vel de damnis forte reficiendis, positis ponendis, pro lite temeraria.

Quod notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 22 m. novembris a. 2004

+ Velasius De Paolis, c.s.  
*Secretarius*

IURISPRIDENTIAE PROT. N. CG 36281/04